

VINDEMIOLAM SACRAM

de

UVIS EVCHARISTICIS,

ad illustrandum Canonem XXVIII. Trullanæ Synodi,

Altdorfl d. 15. Octobr. MDCCIV.

exercitationi Theologicæ subministrabunt

PRÆSES

CHRISTOPHORUS Sonnag/

SS. Theol. D. ejusdemque primarius

& Græcæ Lingvæ Professor, Ecclesiæ Antistes

& h. t. Facultatis suæ Decanus,

&

RESPONDENS

ANDREAS Weber / Heldburgo - Francus.

ALTDORFI NORIC.

Literis JODOCI GUILIELMI KOHLESIL.

of.

Coll. diss. A
115, 34

a. CXV. 34.





בָּשָׁד :

§. I.

Praeter **רָאשִׁית דְּגַן** *primitias frumenti*, Sacerdotibus & Levitis tempore Hiskiae datas, etiam primitias **תִּירוֹת** seu *musti*, olei, mellis, omniumque proventuum agrestium, una cum multijugis decimis pro usu eorundem & commodo accumulatas fuisse, in libro posteriore **רְבָרִי הַמִּזְבֵּחַ** cap. XXXI, §. 5. legimus. Annumeratur autem hæc pietatis exercitatio cæteris optimi Regis sanctionibus, cultusque divini innovationibus interserta commemoratur. Unde liqvet, consecrationem vini aut musti ad legem V. T. ceremonialem utique pertinuisse, & Sacerdotibus cessisse ac Levitis eum maxime ob finem, prout ex §. 4. repetendum, **לְמַעַן יְהֹוקָן בְּתוֹרַת יְהוָה**, ut confirmarent se in lege Domini (Luth. auf daß sie könnten desto härter anhalten am Gesetz des **הָאֱלֹהִים**: Et in scholio marginali: Auf daß sie nicht aus Mangel der Nahrung müsten die Bücher lassen / beyde zu studieren und zu lehren / und ihre Nahrung suchen. Denn Kirchendiener sollen verserget seyn / und studieren / wie Nehemias und Ezra auch sagen) Siqvidem ex lege Domini omnis sapientia creata, agnitus DEI ac disciplina fluxit, **ως Γηών οὐ μέρος τόση γητά,** sicut Geon seu Nilus in diebus vindemie. Sir. XXIV, 37.

§. II.

Quinimo jam ante latam legem ceremonialem Melchisedecianam illa vini cum pane prolatio, donatio ac ad reficiendum

A 2

appo-

appositio ex Gen. XIV, 18. notabilis est. Vinum protulit Melchisedecus; non obtulit, non sacrificavit. Enimvero prisci donarium isthoc διωνούντο pacis & benevolentiae symbolum solebant interpretari erga venientes ex bello. Vid. *B. Ursin. Analyt. Sacror. p. 350.* Nec dubium, qvin inde mos ad Romanos fuerit derivatus, hospites majoris fortunæ excipiendi vino frumentoqve honorario. *Isidorus* apud eundem ibid. *Honorarium, inquit, vinum, quod Regibus & Potentibus honoris gratia offeratur. Et Cato de innocentia sua: Cum essem in provincia legatus, quamplures ad Praetores & Consules vinum honorarium dabant; nunquam accepi, nec privatus quidem.* Cæterum pro vino lac obtulit Sisseræ, benevolentiam simulans, Jaël, & pro modico aquæ potu, qvem desiderabat *Jud. IV, 19.*

§. III.

Nos in præsentia parum moramur Manichæos, qvi vinum a S. Cœna summoverunt, causati, illud esse fel Principis tenebrarum, docente Augustino ad *Quod vult D. cap. 46.* Neqve magni facimus Severianos, qvorum dogma satis delirum fuit, colubrum illum, mali omnis autorem, cum terra matre congressum, de semine suo genuisse vitem, eamque sua rotunditate & tortuositate testari serpentinam prosapiam: albam serpenti, nigram draconi esse similem; uvas esse quasi veneni stillas; vinum exinde turbare mentem, eamque nunc ad venereas illecebras, nunc ad œstrum qvoddam rapere, iramque accendere, corpore partim vini vi, partim draconino illo veneno concitato. *Epiphan. hæref. 45.* Omnia minime autem curamus Ægyptios, qvi, referente *Plutarcho de Isid. & Osrid.* neqve biberunt vinum, neqve Diis libaverunt, ingratum rati, qvod crederent, esse sangvinem eorum, qui Diis olin bellum intulissent, ex qvorum cadaveribus, terræ permixtis, vites existimarunt esse ortas; hinc ebrietatem insanos facere & abalienare mentem, impletis hominibus sangvine suorum majorum. Alludi ad hanc fabellam,

commu-

communi usu tritam atque frequentatam, a Moſe, *Ursinus lib.*
cit. p. 222. autumat Deut. XXXII, 33. ubi vinum Israëlitarum
fel draconum appellatur.

§. IV.

Noſtri instituti ratio id unicum nunc exigit, ut, quemadmodum haud pridem Ferias cereales sacras ad pulpita aſciscere libitum fuit, ita nunc vindemiolam quoque sacram, tempore ſic monente, apparemus. Commentabimur autem, hujuſ *σαφιλογραφίας* Eccleſiaſticæ mensuram oppleturi, more noſtro paucula in Canonem Trullanum XXVIII. de UVA, quæ ſimul cum Evchariſtia non veniat diſtribuenda, ut ut vulgo crederetur Evchariſtica, ſic ſcribentem : *Quoniam in diuersis Eccleſiis intelleximus, uoram, ad altare allatam, Miniftris cum incruento illo oblationis ſacrificio conjunctam, ex quadam, quæ in valuit, conſuetudine, utraqve ſimul populo diſtribuere; decernimus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat, ſed ad vivificationem & peccatorum remiſſionem ſolam oblationem populo impertiat. Sacerdotes vero has uvas allatas, priuatum benedicentes, non ſecus, ac primitias quasdam, diſtribuant pœnitentibus, ad laudem Datoris fructuum, per quos noſtra corpora diuina diſpoſitione augentur & nutriuntur. Si quis ſecus fecerit, deponatur.*

§. V.

De pane ſacro, ejusque religioso valde & ſuperstitioſo appetatu, nuper unum & alterum ex historia Græca commentati, ex Enchiridio Christophori Angeli cap. XIV. nunc addimus, qvod eum vir aut mulier aliqua, modo purus idem mundaqve eadem fuerit, die antecedente paraverit; hoc eſt, qvilibet homo, cui tantummodo die praecedente cum uxore res non fuerit, aut mulier, quæ a congressu maritali abſtinuerit, hoc eſt, qvibus nec nocte, qvam dies Saturni ſecuta eſt, nec alias, a vespere diei

Veneris usqve ad tempus inatutinum diei Saturni , conjugialis intercessit cohabitatio. Iste seu ista, subacta farina , panem illum Saturni aut alia qvacunqve die conficit ; qvi enim panem illum parare vult, mundus sit, necesse est. Anteqvam vero panis ille excoqvatur, signaculum illi prius ligno aliquo , cui literæ hæ insculptæ : Ἰησὺς χριστὸς νικᾷ , imprimunt ; postea demum panem istum , ipsis literis Ἰησὺς χριστὸς νικᾷ signatum , parant. Hac, qvæ in τέσσαροῖς exprimebatur, forma memoriam labari Constantiniani renovari quis non videt?

§. VI.

Significat autem , docente ulterius *Christ. Angelo* , hic panis Virginem. Quemadmodum enim illa ab omni immundicie aliena fuit : Sic qvoqve hic panis ab homine mundo pinsi debet. Et hunc purum panem (pergit) manibus suis prehendit Sacerdos, & benedicit in memoriam sanctissimæ purissimæqve Deiparæ , Dominae nostræ , alias etiam preces recitans , Virginique panem hunc consecrans. His peractis , Sacerdos exiguam lanceolam , qvæ figuram illius lanceæ , qva milites Christum vulneravere , exhibet, in promptu habet, eaqve admota, quadratam portiunculam e superficie panis, verba hæc continentis : Ἰησὺς χριστὸς νικᾷ , in memoriam nati e Maria Virgine Christi , abscondit , ex eoqve Eucharistiam adornat. Qyam Angelus hic τελεγίγωνον μέρος τι , quadratam hujus panis portiunculam appellat , eam interdum etiam rotundam fuisse , alii observant. Cum primis autem de circulari forma panis Eucharistici notabilis est, & a B. Kromayero contra adversarios , panem nostrum orbicularem improbantes , alicubi urgetur locus Epiphani in Ancorato , ubi τὸ στρογγυλοῦ ὁ πανιβού τοῦ ἐκκλησίας attribuit. Et Durandus quidem per formam isthanc rotundam lib. 4. cap. 41. denarium & pretium redēptionis nostræ existimat significari.

§. VII.

Sed enim ceu miras Græculi affanias de pane Eucharistico texunt , præter usum, corporis Christi communicativum, in operosa

rosam qvandam δέσμοις ταρταρίας eundem convertentes, ac opinantes, Testatorem sanctissimum eundem propterea velle ad Cœnam adhiberi, ut suum Corpus in ipso adoretur, prout ostendere adhuc juvit: Ita nihilosecius vel transubstantiationem olen, vel ad δινολατρείαν collimant, qvæ de altero symbolo, Sangvinis Christi καιωνώ, vino nimirum Eucharistico, δογματίζονται. Et de Ecclesia qvidem Moscovitica, quæ Græcae διπόρρωξ & propago est, *Adamus Olearius apud Fehlau. in Annot. ad Enchir. Christ. Angel. p. m. 327.* testatur, qvod, veluti transubstantiationem credant, ita vintum semper modice calefaciant, qvia nempe verisimile sit, Sangvinem Domini JESU CHRISTI, e latere fluentem, calidum qvoqve fuisse.

§. VIII.

Deviat hæc insuper ab institutione Christi, dum vino interdum substituit alium liqvorem. Etenim si rubrum vinum desit, Moschi succum ex pomis expressum, & baccis qvibusdam rubris tinctum, adhibent. Sed & Medo asciscunt, ex melle lupulis qve decoctum, qvi picatis in cadiis veterascit, & ex antiquitate nobilitatem asseqvitur; imo etiam aquam meram assumere solent, imprimis, qvando deficit vinum. Parvi id pendunt, inquit *Scarga apud D. Siricum Disp. de Relig. Moscov. Felau. l. c. p. 387.* si, vino accendentium freqventia exhausto, tantum aquæ post consecrationem effundatur, ut nullus ejus sapor supersit. Quasi vero aut succus ex pomis expressus, aut medo, aut aqua divinam habeant vocationem ad id, ut sint vehiculum Sangvinis Christi, cum solum γένημα τῆς ἀμπέλου, Luc. XXII, 18. hoc est, vinum Deut. XXII, 9. usu isti sacramentali a Domino destinatum fuerit, cui institutioni sanctissimæ nullo modo integrum est contravenire, aut eandem invertere.

§. IX.

Nihil igitur tale in Canone nostro legimus Trullano, ut adeo abusus hic alterius partis Eucharisticae recentiorum temporum vitius

vitiis veniat imputandus. Uvam nempe Evcharisticam , ad altare allatam , ab incruento oblationis sacrificio , hoc est, Cœna Dominica , accurate distingunt Patres. Velut enim hi canone antegresso vigesimo tertio edixerant , pro Evcharistiae administratione nihil exigendum , ejusque participationis gratia vel obolum , ve qvamvis aliam speciem , accipiendam esse , rationem interferentes , qvandoqvidem non sit venalis gratia , neqve pecuniis Spiritus sanctificationem impertiamur ; sed ea iis , qvi digni sunt , absqve ulla fraude communicanda veniat : Ita in hoc iidem significanter & operose sciscunt , ne uvas qvidem , ad altare allatas , a Sacerdotibus retineri , verum non secus , ac primitias qvasdam , inter poenitentes dividi oportere , abolita ea , qvæ inveteraverat , οὐνοτεργυδοσίας consuetudine , secundum qvam videlicet utraqve (& epulum sacramentale , & uva ipsa) distributa fuerant.

§. X.

Nimirum uvæ hæ evcharisticæ paralleliam obtinuisse videntur cum αὐλιδώρω . Etenim , si Goarum audimus *Eucholog. p. 154. b.* hoc (contradictoriū αγίοις δώροις , i. e. ipsimet Corpori & Sangvini Christi , qvibus sanctiora & pretiosiora dona in cœlo ac terra inventiri nequeunt , eorumq; communioni & participationi oppositum) significat panem evlogicum sive benedictum , sacræ communionis vicarium , divisum illis , qvi ipsamet sacra Synaxi non utebantur , nec sacra mysteria percipiebant. Duplicis autem generis evlogiam sive panem benedictum Autores añotant , publicum & privatum . Publicum αὐλιδώρων , finita Cœna , in dilectionis & unitatis argumentum ex oblationibus inter fideles dividebatur. Privatum autem , qvamvis multis comune fieret , ab Episcopis tamen privatim mittebatur. Conf. *Triphyllum meum Historico - Elenct. de intinctione panis evcharistici in vinum , assert. 2. §. 8. & 9.* Has evlogias Græcos hodiernos in itineribus assumere , & in periculis tempestatum præsidio earundem se munire solere , testis est *Goarus l.c.* Sic nimirum & antea homines eis domum auferre , ibi

ibi custodire, cum Evcharistiā confundere, & loco illius in salutem animæ & corporis assumere, iisqve privatam Cœnam conficere solebant. Vid. *Gisb. Voëtii Polit. Eccles. part. I. p. 800. & seq.*

§. XI.

Similiter fere Sacerdotes has uvas, privata benedictione sanctificantes, & a profano usu separantes, non secus, ac primicias qvasdam, distribuere pœnitentibus. Imo & recentiores Græci id agunt, ut uvarum esu ad usum Evcharistiæ sese præparent. Id narrat in Confessione universali *Metrophanes Critipulus cap. IX. p. m. 101.* Commendatur ibi jejunium, qvod die proxime præcedente participationem Evcharistiæ celebrent, & quidem, si fieri possit, in totum. Sed & permitti memoratur, si qua corporis imbecillitas jejunare vetuerit, jentaculum, constans fructibus autumnalibus, iisqve vel recentibus, e.g. UVIS, ficibus, pomis, pyris, & id genus aliis; vel aridis (qvorum esum ex antiqua Ecclesia xerophagiam dixeris) v. g. UVIS PASSIS, caricis & similibus. Addit *Metrophanes*, nec pauxillo pane eosdem prohiberi: potum vero ipsis aquam esse: ægrotantibus autem necessario paulum vini concedi, & quidem diluti: participatos vero Evcharistiam etiam nocte illa vigilare; ubi vero obdormiscendum fuerit, in scamno aut sedili, haud tamen in lecto, id fieri.

§. XII.

Uvas ad altare allatas fuisse, supponit Canon noster Trullanus, fallor? an ex canone Apostolorum quarto, ubi hæc botromium oblatio & allatio ad altare, cum, juxta subsequentem canonem quintum, aliarum rerum primitiæ Episcopo & Presbyteris domum, & non super altare, fuerint missæ, ac inter Diaconos & reliquos Clericos divisæ, conceditur. *Hanc proinde oblationem ac devotionem, antiquius receptam, non improbant Assessores Trullani; verum istud modo cacoëthes abrogatum cupiunt, quo utraq simul (et symbola consecrata.*

*crata, qvæ sunt communicatio Corporis & Sangvinis
Dominici, & donaria botrorum DEO dicata) populo di-
stribuebantur. Volunt igitur, ut sola oblatio (sic nimirum
per metonymiam adjuncti ab oblatione ac donatione sacræ Cœ-
næ contigua, Cœnam ipsam Dominicam ipsumque Corpus &
Sangvinem Domini canones appellitant) sine botrorum illorum
additamento & auctario communicantibus (hos nempe intelli-
gunt per populum, utpote cui porrigeretur S. Cœna) imperti-
retur.*

§. XIII.

*Cur vero Patres nostri incruentum oblationis sacrificium
appellitent Cœnam Dominicam, operæ pretium est, porro enu-
cleare. Non propria certe hoc fit significatione, velut Pontificii
missam suam tanquam sacrificium proprie sic dictum nobis descri-
bunt, aut veluti Sacerdotes in V. T. hostias divinitus præscriptas
obtulere; sed metonymica potius, qva antecedens pro conse-
quentे, ac tempus præteritum pro nunc præsente accipitur.
Eo qvippe sensu Cœna Dominicæ sacrificium appellatur, non
qvasi Corpus & Sangvis Domini in ipso actu Cœnæ sacrificen-
tur, sed qvod fuerint sacrificium in ara crucis immolatum, &
qvidem propitiatorium pro culpa & poena totius generis humani.
Cum enim in commemorationem ac recordatiorem penitorem
mortis ac passionis suæ celebrare hanc Cœnam jubeat Testator,
qva semetipsum tanqvanī hostiam DEO Patri obtulit in odorem
fragrantiae, idcirco commemorationem sacrificii tam augusti ac
μοναρχόπολεως sacrificium ipsum vocavere pii veteres. Liqvet id præ-
terea ex apposito, dum θυσίαν ἀναίματος nominant, qvod sa-
crificium immolativum, proprie sic dictum, minime omnium vo-
luerint intellectum.*

§. XIV.

*Ovoties igitur Ecclesiastici Scriptores Sacramentum Cœnæ
Dominicæ περιφοράν, περικομιδήν, aut etiam θυσίαν ἀναίματος
appellant, toties tropice loquuntur, & nihil minus, qvam sacri-
ficium*

ficium aliquod propriè sic dictum indicant. Vel enim oblationem non *ιερατείαν* seu immolativam, sed *δωλείαν* sive donativam innuerunt, munera puta illorum, quæ administrationem Sacrae Cœnæ antegressa sunt, ceu jamdum edocui; vel innuerunt sacrificii nomine preces, gratiarum actionem, confessionem & alia pietatis exercitia, celebrationi Cœnæ Dominicæ adjuncta, quæ sacrificii spiritualis nomenclaturam ex usu Scripturæ acceperant. Quodsi vero quis ex hac tropica denominatione inferre propriam anniteretur, is omnino laterem lavaret, perinde, ac si spiritum contribulatum, aut suum ipsius corpus, ob nomen sacrificii DEO placentis a Davide & Paulo ipsis assignatum, ad propriam sacrificii acceptationem rapere tentaret. Sed & supra monuimus, ipsum Corpus & Sangvinem Domini Græcis τὰ αγάπα δῶρα nuncupari.

§. XV.

Possit autem fallor? nimii rigoris accersi hæc Synodus, eo, quod simul factam τῶν αγίων δώρων & uvarum distributionem inhibuerit, imo eandem, ceu cacoëthes non amplius tolerabile, censuerit notandam. Possit ceremoniæ huic simultaneæ distributionis una & altera, forte non contemnenda, ratio prætexi. *Mylius* quidem certe *Hortuli Philosophici* p. 53. ænigma ex Loricchio Hadamario sese protulisse credidit, quando uam loquenter, & dulcissima vina habentem introducit, cum clausula: *Sed mihi vas nullum, quo caperentur, erat.* Vinum igitur verum & nativum esse videtur, sive intra folliculum acini contineatur, sive ex eodem excretum aut expressum fuerit. Præterea repræsentatus cuilibet communicanti sub uvæ hujus symbolo videtur ipse Christus. Eeqvisnam ille? Uva spiritualis est, quam uva illa magna Cananæa præfiguravit, portata in ueste a duobus viris alegatis Num. XIII, 23. (qvo de loco excerptum Gemarium, a Dn. *D. Wagenseilio* nostro traditum, & explicatum in *Sota* pag. 702. 706. 707. — 712. & eruditam *Dn. Beckii* dissertatione

nem 1679. Jenæ habitam, si lubet, evolve) Offertur & ipse Christus per Ministros verbi, legatione pro ipso fungentes. 2. Cor. V, 5. Orta est hæc Uva ex vite purissima , Virgine Maria Ef. VII, 14. liganda in corde nostro vinculo notitiæ, assensus & fiduciæ a Spiritu S. excitatæ, qvandoqvidem habitat Christus in cordibus nostris Eph. III, 17. & fide placatur DĒUS correlative, in Christo apprehenso, qvemadmodum olim David ligaturis uvarum placabatur i. Sam. XXV, 18. Confortat illa pios in militia Christiana, tanq; bellatores, & elephantes qvasi spirituales i. Mac. VI, 34. Qvinimo deduci hæc θορησιολογία facra possit ad αμπελολογίαν qvandam sacram & mysticam. Ecqvis enim est vītis? Ipse Christus. Eeqvi palmites? Homines fideles Joh. XV, 1. Eeqvi fructus? Fructus Spiritus, bona opera; qvibus opponuntur uvæ fellis Deut. XXXII, 33. hoc est, mala opera & peccata horrenda. Conf. B. Botfacc. Morat. Gedan. pag. 1173. Sed & de fructibus Pseudo-prophetarum locutio paroemialis innotuit, a Salvatore adhibita Matth. VII, 16. Possuntne uvæ colligi ex spinis?

§. XVI.

Sed practica hæc, aut etiam alia similis argumenti meletata, utut in thesi valde sint pia; tamen in hypothesi illa, de qua nunc loquimur, partim congrua videntur. Neqve enim sunt ex verbo veterum, qvod etiam Spiritus S. allegavit, facienda mala, ut inde eveniant bona. Non sanxit utiq; Christus uvas in Cœna distribuendas; verum succum uvarum, nempe vinum. Et hoc non instituit, ut γέννημα τῆς ἀμπέλου ἐδάμημον sive edendum, qvale est, cum etiamnum in uvis detinetur; verum ut γέννημα τῆς ἀμπέλου πόσιμον sive bibendum. Insuper Assessores nostri Synodici id, qvod Christus in institutione non conjunxit, ipsi quoq; in administratione Cœnæ conjungi nolunt. Jam vero non vinum uvis vel apposuit, vel apponi communicantibus jussit; sed vinum sine uvis. Ergo simultanea isthæc distributione uvarum cum vino Eucharistico institutioni & ordinationi Christi

Christi parum fuerat consentanea. Qvinimo simultaneæ ac publicæ harum distributioni videtur etiam simultanea & publica earundem consecratio fuisse annexa. Id qvod innuant fortasse Patres per illud *Et privatim benedicentes*. Qvæ res si ita gesta est, ab institutione ac dispositione Testamentaria Salvatoris tanto enorius fuit recessum.

S. XVII.

Qvamvis igitur tam insigniter adversus dispositionem Christi Testamentariam hi Sacerdotes οἰνος αὐλαδόται non peccarint, qvam illi, qvi lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare consueverunt, ambitione qvippe schismatica detenti, ceu loquitur Concilium Bracarense III. can. I. Qvamvis insuper mustum a nonnullis in casu necessitatis, & alio vino deficiente, cæteris paribus adhiberi posse putetur, eo, qvod sit genimen vitis potabile, qvodqve a vino non differat, nisi sola fermentatione, qvæ non magis vini, qvam λύματις aut ἀλυμπίᾳ panis, naturam tollat, censente B. J. A. Osiandro apud B. Pfeiffer. in Actione rei amotæ p. 233. Qvamvis præterea acetum perfectum, qvod desiit esse vinum aut vini species, & sic a vino tanquam materia transeunte, ut homo mortuus a vivo, differt (non autem vinum subacidum, in qvod tanta nondum corruptio cecidit, ut desierit esse vinum) itidem periculosius in Cœna usurpetur & voluntati Testatoris minus respondeat: Imo qvamvis Abessini, Coptitæ, & Christiani S. Thomæ in India uvam passam, aqua maceratam, exprimant, & talem liqvorem pro vino in Eucharistia retineant, hoc pacto vini defectum supplere conantes, & ita loram potius, qvam vintum efficientes (Subdiacono nonnihil aquæ communicantis mantii infundente, qva ille os lavet, deinde eam sorbeat, prout refert J. Ludolfus Hist. Æthiop. I. III. cap. 6. §. 81.) Qvamvis deniqve Julius Papa apud eundem Comment. in Hist. Æthiop. p. m. 378. in casu necessitatis admittat botrum succi expressi, his verbis: *Sed si necesse sit, batrus*

ATPA

B 3

in

in calice comprimatur, & aqua misceatur; Bracarenses tamen Patres aliter statuere in Concilio jamdum allegato, ubi canone I. sic loqvuntur: Quod vero de expresso botro, id est, de uvarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum. Calix enim Dominicus, vino & aqua permistus, debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Sed enim pressius insistendum fuerat institutioni Christi, & præcavendæ Diaboli insidiæ, qvi a levioribus incipiendo, ad graviora pergit, & nihil tandem integri aut sani in sacratissimis mysteriis relinqvere studet. Ecur enim verum & genuinum vinum beneficio mercaturæ & navigationis in regiones Abessinorum importari nequeat? Aut, ubi mustum habetur, ecur ergo defecari, & exinde verum effici vinum, non possit?

§. XVIII.

Lusus certe & abusus Satanae, qvibus detrahere institutioni Christi, & speciem vini temerare conatus est, jam minores, jam maiores, jam leviores, jam graviores in historia Ecclesiastica percensentur. De Aqvariis aut Hydroparaftatis, aquam solam consecrantibus in calice Sacramentali, præter alias videatur Augustin. ad Quod vult. hæref. 64. Simile qvid Encratitis, Ebionitis, Tatiano tribuunt Cl. Alexandrinus & Epiphanius. Nec ignoravit Chrysostomus hoc delirium, sed acriter taxavit Homil. XCIII. in Matth. De Gnosticorum furore legatur denuo Epiphanius Hæref. 26. & conferantur B. Königii nostri C.C. p. 509. Qvin fuerunt olim, qvi linteum vino imbuerent, deinde rursus siccarent, & cum vino ad Evcharistiam opus haberent, partem ejus aqua madefactam rursus exprimerent, & communicantibus exhiberent; qvod Julius Papa rejicit apud Pfeiffer. l. c. Sane aquam, de vino paululum succi & ne vix qvidem trahentem, pro vino genuino agnoscerne non possumus. Sed & necessitatem cramat, a Concil. Trid. Sess. XXII. Can. 7. obtrusam, repudiamus, eo, qvod nulla aquæ in verbis institutionis fiat mentio, neque aqua

aqva sit genimen vitis , cujusmodi verba narrantia Lucæ nobis exhibit. Necessitatem , inquam , mixturæ hujus repudiamus ; libertatem tuemur. Ecqvid deniqve superstitionis sumptione vini sacri per fistulas sive pugillares ? Cum Monachi qvidam , præsertim Cistercienses & Carthusiani , non admotis ad ipsius poculi oras labiis , sed per fistulas argenteas aut vitreas , ex calice ori insertas , delatum illud vinum excepere , periculum effusionis hoc pacto evitaturi ; prout ex *Cassandra* rem narrat *Joh. Dalleus de Cultibus Latin. Relig. p. m. 447, & seq.* Ad hujusmodi nova & absurdâ pellicit homines Satanæ , a minoribus incipiens , in majoribus desineris , ad institutionem DEI jam addens aliquid , uti in Βοτρυοληψίᾳ nostra Evcharistica factum , jam minuens permutansve substantiales & a Christo determinatas Sacramenti partes.

§. XIX.

Accedit , (ut redeamus ad interpretationem Canonis nostri ac palmarium institutum nostrū) qvod effectum Cœnæ Dominicæ , vivificationem nempe & peccatorum remissionem , in hoc deprehendunt Trullani Patres ; eumqve soli oblationi , hoc est , soli Cœnæ Dominicæ , soli Sacramento Corporis & Sangvinis Christi , nullatenus uvis , acceptum ferant. Nec abs re : qvandoqvidem humana superstitione facile deviat , & causam per accidens pro vera causa agnoscit. Laici præsertim & simpliciores Christiani judicio diacritico destituuntur , & facile , qvod ajunt , murem pro pistrini Domino apprehendunt. Quantum vero intersit omnium communicantium , effectum Sacræ Cœnæ probe nosse , vivificationem nempe & peccatorum remissionem , qvam DEUS obsignat , offert , confert , & salutariter applicat credentibus , abunde constat. Perstat nimirum & in Verbo DEI solide fundata est assertio nostra catechetica : Ubi remissio peccatorum est , ibi est justitia & vita. Omnes utiqve digni S. Cœnæ hospites sunt palmites , a' vite Christo penduli , ab eodem fuceum &

vitam

vitam attrahentes, in quibus ille vivit per fidem, imo quorum
vita est, & principium operationum, DEO placentium, fructuumque
hoc est, bonorum operum & exercitiorum pietatis, inde progenia-
torum.

§. XX.

Notatu porro dignum est, distributioni uvarum aliud ob-
jectum, aliumque finem assignari, quam distributioni symbolo-
rum Sacramentalium, in Canone nostro. Mandatur enim Sa-
cerdotibus, privata uvarum benedictione defuncturis, ut eas-
dem *pænitentibus distribuant*, quotquot vel lacrymantium, vel
audientium, vel substratorum, vel consistentium, vel parti-
cipantium denique occupaverant stationes. Inter hos vero alias
quaque primitias divisas fuisse, Patres haud obscure indigitant;
prout de uvis & frumentis aliquid in sacrificiis offerri permise-
rat *Concilium Carthaginense III. can. 24.* Contra symbola Sacra-
mentalalia nullis ex his, nisi participantibus, ultimoque fidelium
communicantium loco constitutis, porrigebantur. *Ad laudem*
Datoris fructuum partitio uvarum fiebat, per quos nostra cor-
pora nutriuntur. Sed in Cœna finis ille principaliter non in-
tenditur, verum spiritualis potius, vivificatio & peccatorum re-
missio; quod antegressa Canonis verba pulchre insinuarant:
quamquam a spirituali illa nutritione Corpus digni hospitis, ho-
minis nempe pii ac fidelis, haud veniat excludendum. Sunt
enim corpora nostra membra Christi *I. Cor. VI, 15.* quemad-
modum nosmetipsi membra corporis ipsius, ex carne ejus & ex
ossibus ejusdem, sumus *Eph. V, 30.* Ut adeo particula *Allein* in
Cantico: *Christus will die Koste seyn / und speisen die Seele allein;*
non ad vocabulum *Seele*; sed potius ad subjectum, Christum
nempe, pertineat.

§. XXI.

Laudandum ergo Datorem fructuum **DEUM** Assessores me-
rito pronunciant, quoties uvae haec evcharisticæ cum pœniten-
tium choragiis communicarentur. Hunc nempe eundem Psaltæ
quaque

qvoqve concelebrat Ps. CIV, 14, 15. eo , qvod a vino exhilarari faciat humanum pectus : qvi in Palæstinam , uvarum feracem , id propter introduxerat Israëlitas , agnoscētibus viris illis , uvam prægrandem in palanga portantibus Num. XIII , 23. Imo inveniat Israëlitas in deferto , tanquam uvas Hos. IX , 10. gratissimas puta , cujusmodi viatoribus præsertim in locis incultis ac desertis obtingere uvae confieverunt. Proin Ecclesiam suam toties vineæ cujusdam sub imagine repræsentat , a qua expectarit præstantiores uvas ; sed invenerit in ea labruscas Es. V , 4. Idem uvarum Donator & Largitor summus (cui Satanas honorem istum futuratus prolem Semeleiam Bacchum Ethnicis , ut autorem harum crederent , persuasit) propter peccata etiam defectum eaurundem immittit. Interminatur ergo , nullas fore uvas in vite Jerem. VIII , 13. nullumqve proventum Hab. III , 17. Sideratione nempe DEUS acinos vini adimit , & violenter aufert omphacem Job. XV , 33. cum nempe adhuc acerba est uva , & nondum maturuit , sicut Dionysius Halicarnasseus scribit , olim ante Roman conditam talem pœnam in Italia grassatam esse , docente ex Illyrico Ravanello Biblioth. voce Uva.

§. XXII.

Imo laudandus est Heros ille Bozräus , Dominus ac Salvator noster JESUS CHRISTUS , calcator torcularis , formosus in stola sua , cuius indumentum vino rubicundum est Es. LXIII , 1, 2. & seqq. Hic ipse in sacrosancto Evcharistiæ Sacramento sub vino Sangvinem suum bibendum exhibit , seqve cruenta ueste indutum in Apocalypsi offert , XIX , 13. Nec ipse solum suo Sangvine stolam tingit ; at beatorum qvoqve cœlitum uestes eodem ablutas offert VII , 14. XXII , 14. Qvando igitur Schilo Gen. XLIX , 11, 12. sistitur , ligans ad vineam pullum suum , & ad vitem asinam suam , lavans in vino stolam suam , & in sangvine uvae pallium suum , supplicium JESU CHRISTI his præsignificari arbitratur Petr. Dan. Huëtius Demonstr. Evangel. p. 704. Neqve multo secius Vinarienses ad h. l. commentantur , ubi per ligationem asinæ & pulli

C

& pulli

& pulli ad vineam, Judæorum & Ethnicorum, ad semetipsum,
tanquam veram vitem Joh. XV, 1. alligatorum, coadunationem
simul intelligi arbitrantur.

§. XXIII.

Annectitur Canoni ad calcem : *Si quis fecus fecerit, depo-
natur.* Qvæ est pœna, conjunctioni poculi benedicti & uvæ,
si qvam ausurus impostorum Sacerdos effet, dictata. Sed enim
dictaturæ hujus Canonicæ ratio ex antea dictis oppido patescit.
In temerationem enim ac profanationem Sacramenti rigidius
æqvo haud poterat animadverti. Fallor? an simpliciores abusus
iste in eam deduxerat opinionem, uvas hasce consecratas æqve,
ac vinum in poculo Sacramentali, esse vehiculum istud, quo San-
gvis Domini acciperetur ; cum tamen usus uvarum cibo, non
potui, immediate & proxime destinetur Deut. XXIII, 24. Hinc
alii quidem uvas cum vino, tanquam causam cum caufato, ut
ita loqyar, materiam cum materiato, & genimen vitis exprimen-
dum cum jamdum expresso confundere & commiscere ; alii vero
temperamentum ejusmodi minus tolerandum existimare ; utriq;
vero scandalis inter se mirificis collidi poterant. Sapienter er-
go Patres, inordinatis hisce motibus occursuri, separata separari
a Sacerdotibus, uvarum diribitoribus, voluerunt ; & seorsim my-
sterium S. Cœnæ tractari oportere, seorsim autem uvas istas in-
ter pœnitentes distribui, sub pœna depositionis jufferunt.

§. XXIV.

Alibi in V.T. importatio uvarum in urbem, die Sabbathi per-
acta, prohibebatur a Nehemia, tanquam grande nefas, cap. XIII, 15.
Verum ceremonialis iste rigor in Sabbatho Christiano N. T. ex-
piravit. Proin una cum aliis primitiis in Canone nostro easdem,
ad altare allatas, conspicimus. Quemadmodum enim sextupli-
cibus primitiis, qvas Rabbini recenserint, triticæ nempe, hordei,
ficus, malo-granatorum, olivarum & amygdalarum, etiam
אשכלה seu uvæ, tanquam *טירת הארץ*, canticum sive res decan-
tata & laudatissima terræ Palæstinæ, anumerataæ antiquitæ fuerunt.

Conf.

Conf. B. Lundii alte Jüdische Heiligtümer p. 698: Ita lipsana quædam hujus ritus, non abnuente jure naturæ & gentium, in Novo etiam Instrumento remanserunt. Nasiræis poti vini & siceræ interdictum fuisse novimus Num. VI, 34. Jud. XIII, 14. At Christianis illis, ad quos placita Synodi nostræ sextæ attinebant, haud quidem prohibebatur, quo minus biberent sanguinem uvæ, cuius vinum dicitur Gen. XLIX, 11. utut Nasiræi spirituales, sancti & a mundo separati esse deberebant. Veritatem duntaxat uvarum & vini Sacramentalis conjunctionem unitamque distributionem hic deprehendimus. Volut autem ea, quæ DEUS conjunxit, non sunt separanda; Ita nec ea, quæ DEUS separata voluit, hic conjugenda veniebant: ut adeo pœnam depositionis Sacerdos, hunc ordinem diuinum intervertens, suo incurrerit merito.

§. XXV.

Cæterum Canonistas duplìcēm Clericorum depositionem statuisse, observat B. Gerhardus noster L. de Minist. §. 177. actualēm & verbalem. Illam proprie degradationem dici; hanc autem fieri per sententiam Episcopi monet: in hac removeri tantum Clericum ab honoribus & dignitate clericali, salvo manente privilegio & ordine; sed in illa amittere omnia. Cum itaqve, si respicias ad jus deponendi, illud, autocratice consideratum, DEO soli, perinde ac jus vocandi, reservetur. Conf. 1. Sam. II, 30. Hos. IV, 6. Matth. IX, 38. Eph. IV, 11. Act. XX, 28. diaconice vero spectatum, a Christo Ecclesiæ Matth. XVIII, 17, 18. Eph. IV, 12. Ps. LXVIII, 13, 19. collatum sit; exercetur hoc in Canone istud per Ecclesiam repræsentativam, Synodum nempe isthanc Sextam, quām nonnulli œcumenicis annumerant. Plura exempla remotorum ac depositorum ejusmodi Clericorum ex historia Ecclesiastica percenset Gerhardus l. c. cuius editio recentior in fol. si libet, inspici poset. Velut igitur Salomon, Abjatharem a munere removens, in sacris exhibetur literis: Ita remotio ministrorum Ecclesiæ, si non fiat ausu temerario, absqve ratione & causa probabili, simpliciter prohibita non est. Vide sis, quæ hanc in rem ex Jure Canonico attulit Carpzovius Jurisprud. Confist. Tit. X. Def. CIX. num. 8. & seq.

§. XXVI.

Quæ quidem omnia expéndentes, haudquaquam Assessores nostros Synodicos, quicunque tandem fuerint, ὄμφατις καὶ σρυφνὲς, uva acerba immitiores, aut nimium severos, dum uvas Eucharisticas in non-Eucharisticas commutauunt, fuisse dixerimus. Sed enim, quod nonnulli de Sophocle & Anacreonte Poëtis referunt, acino uvæ suffocatos & strangulatos quasi eosdem fuisse, unde istud Luciani & Sotadis: Σοφοκλῆς πᾶγα φαγὼν σαφυλῆς τέθυκε; rametsi Plinius de Sophocle diversum commemoret, & Val. Max. eum, accepto de victoria nuntio, interisse referat apud Myl. l. c. p. 45. idem ipsum de nonnullis, Ecclesie Romane addictis, sentiendum, quibus Canones 102. nostri Concilii, adversus Monothelitas potissimum coacti, & ex Episcopis 289. constantis (quod inter Constantinopolitana tertium, freqventius autem Synodus Sexta, puta ex generalibus sive œcumenicis, unde & Patres in epistola Synodali, ad Imperatorem data, sese οἰκεμενικὴν σύνοδον appellant, imo & πένθ' ἐκτῇ seu quinisepta audit) acini quasi uvarum, quibus suffocatum iretur Ecclesia Romana, extiterunt. Idcirco Franciscus Sylvanus apud Caranzam ad Canonem 55. quo jejunium sabbathis ac Dominicis diebus quadragesimæ inhibetur, & abstinentia

a jejunio quadragesimali ejus diei ἀπαργοσαλδίτως sive inconcusse servanda iudicatur, cum aperte Romanæ Ecclesiæ mori contradicere, observat. Idem Sylvanus Canonem 36. errorum pronunciat, throno Constantinopolitano æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno vendicantem, & simul ad cœcumensicum Constantinopolitanum I. provocantem, in quo Canon 5. vult, τὸν μέν τοι Κωνσταντινοπόλεως Ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς κατὰ τὸν τῆς Πάμυν Ἐπίσκοπον (malim ego vetere: Juxta sive secundum, quam post Romanum Episcopum) διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Πάμυν. Idem consuetudini Ecclesiæ Romanæ repugnare affirmat, quod Canone 13. sciscitur, Subdiaconos & supra vicis suæ tempore ab uxoribus separari debere, adeoque supponitur, eosdem a nuptiis haud esse prohibendos, addita ratione, quod hoc sit contra Canones Apostolicos; imo pronunciatur tandem, eos deponendos esse, qui aliter sentiant. Conf. Whitakerum de Concil. p. 198. & 285.

§. XXVII.

Dum igitur hodiendum Ecclesia Romana contra Synodi nostræ, quam vel ipse Bellarminus & alii Generalem agnovere, placita docent & agunt, ob praxin isthanc, Ecclesiæ veteri contrariantem, haud certe usurpaverint istud Ezechielis de omphacibus XVIII, 2: *Patres comedenterunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt;* neque delicta parentum immeriti luunt (perinde ac illi, qui uvas comedunt immaturas, ipsimet odontalgiam patiuntur; qui vero comedentibus astant, & in eos intuentur, eorum dentes obstupescunt, docente Aristotele Problem. sect. 7. quest. 5. apud Cornel. a Lap. in b. l.) Siqvidem Majorum suorum liras & ipsi ducunt, dogmata Antisynodalia, hoc est, Patribus Trullanis adversa, æmulantes ac pertinaci cum rigore defendantes. Sed & Judæi Majorum suorum, a Christo alienorum, vestigia etiamnum prementes, istud, apud Ezechielem Majoribus exprobratum, proverbium suum facere jure non possunt: ut tempore Messiae, quod expectant, tam grandes sibi uvas promittant, ut, si quis attulerit unicam uvam vehiculo aut navi, eamque in angulum ædium deponat, ex ea vinum sit deprompturus, tanquam ex dolio ingenti; ligno autem ejusdem usurns ad coquendum cibum. Conf. Dr. D. Wagenseilium nostrum l. c. p. 711. ubi locum Talmudis allegat, in quo docetur, nullam tunc ugam fore, quæ pauciores, quam triginta vini utres suppeditet, neque ullam omnino in universa Judæa repertum iri viticulam, ad cujus uvas portandas (juxta Gen. XLIX, 11.) asello non futurum sit opus. Verum hæc pro præsenti, ad βοτρυολογίαν nostram biblicam ac vindemiolam sacram Synodicamque Benevolo Lectori sistendam, περιλεπτον μέρον sufficiant.

תליות:



Coll. diss. A. 115, misc. 34